Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3167
Quelle:
Copyright:

exaratus, paginarum oris minio decoratis, et auratis Titulis conspicuus, dicatus est *Leopoldo Guilielmo Archiduci Aust. postulato Episcopo Argentinensi, Halberstadiensi et Passauiensi, Abbatiarum Principalium Hersfeldensis, Murbacensis et Luderensis Administratori* a *Nicolao Golesséni Cancellariæ Hungaricæ Scriba, die 22. Mensis Julij. Anno* 1637. *Etsi*, ut in Praef. ait, sciret, *exquisitis et elaboratis Typi libris, nec non aurea precum supellectile* Principis *refertam esse bibliothecam.* Continentur vero in hoc *Codice* Preces Matutinae cum variis aliis, item Vespertinae cum Exercitio ad sacram Communionem, et Litaniis, quas *Lauretanas* vocant.

DCCCCXXX.

Codex chartaceus lat. germ. 505
Sec. XV. Follor. 112. 4. bene scriptus, rubricisque distinctus, *Liber Precum* est continens *Orationes ad Deum Divosque, Psalmos, Hymnos, Sequentias, Litanias, Confitendi Formulam* et in fine *Calendarium. Hymnis* multis adpositae sunt Notae Musicae. Hymnus *A Solis ortus cardine* &c. etiam, ut varia alia, germanice legitur *fol.* 62. in hunc modum:

Uon anegang der sunne kchlar
bis an ein end der welde gar
wir loben den fürsten Jhesum crist
der von der maid geporen ist.
Ein merer aller welde prait
der legt an sich der knechte kchlaid
er nam an sich menschleiche wat (vestis)
das nicht verdurb sein hant getat &c.

Librum hunc in usu fuisse cum tot aliis jam indicatis *Friderico* III. Imp. liquet primum e duabus *Collectis fol.* 12. ubi legas: *auxiliare queso famulo tuo michi friderico populoque mihi subjecto*, et: *Da seruo tuo michi Friderico triumphum virtutis tue scienter excolere* &c. dein e *Calendario*, quod ante se habet duplicem ἐπιτομὴν μνημονικὴν festos Sanctorum dies mensium ordine complexam, primam quidem germanicam hujus initii:

Besniten ist das kind,
drey kunig sagten Erharts gesind,
Der steren weist sy, wann
kümbt marcellus Anthony Prisca sag fabyan &c.

Alteram notam illam latinam: *Cisio ianus Ep. val. er. hart.* &c. Ipsum porro sequentibus notis insignitum est: Ad kalend. Junias: *In vigi-*